



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXIII. De aliis variis speciebus probationis, putà; Per famam; Per historias; Per inscriptones, & adminicula; Ac etiam per judicium peritorum; Et de liquidatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)



etiam in civilibus frequens praxis experitur, eo  
 77 quia plures veritatis conciliat ex respectibus, qui  
 habeantur erga alteram Partem, nonnisi coacti de  
 illa deponere volunt; Ac etiam, an testes possint in-  
 78 strui per Partem, atque probata instructio adimat,  
 vel minuatur, necne fides; Sive an liceat etiam cum  
 premio allicere testes, ut eam dicant veritatem,  
 quam alias dicere renuant, cum revera hæc omnia  
 & similia incapacia sint regula certæ, & generalis;  
 Ideoque in huiusmodi quæstionibus, litigantes  
 Deum rogare debent, ut eis det Judicem rectum, ac  
 iudiciosum.

jurisdictionis quoque vel competentie fori quæ-  
 79 siones cadere solent super punitione testium, qui  
 falsum dixerint coram Iudice aliis incompetente,  
 ut ita ob eius offensas aures competens efficiatur,  
 quoties omnimoda & habitualis incompetencia  
 non obstat; Verum, & super hoc pariter certa regu-  
 la statui non potest, quoniam licet ea sit pro indu-  
 ctione competentie, Rovit. decis. 20. & pragm. 1. de  
 sindicat. & pragm. 4. de fals. Attamen in aliquibus di-  
 ctionibus non de facili eius praxis admitti solet, ideo-  
 que locorum styliis nimium deferendum videtur;  
 Et reliqua studiosus perquirat apud praticos, sive  
 apud eos, qui hanc materiam ex professo tracta-  
 runt.

De aliis variis speciebus probationis,  
 puta; Per famam, per historias, per  
 inscriptions; Ac per præsumptio-  
 nes, & adminicula.

Ac etiam per iudicium peritorum; Et  
 de liquidatione.

## S V M M A R I V M.

- 1 De probatione per famam in civilibus.
- 2 In criminalibus remissive.
- 3 De fama ad effectum prescriptionis.
- 4 De eadem ad effectum probationis domini in materia feudali, vel emphyteutica.
- 5 Ad effectum nobilitatis.
- 6 Que regula desuper cadat.
- 7 Quod pro hac specie Civilistis congruat studium Criminalistarum.
- 8 De probatione per historias, vel chronicas.
- 9 De illa per inscriptions in lapide, vel in pariete.
- 10 De probatione per texeram.
- 11 De probatione præsumptiva seu adminiculativa, & de regula in ea tenenda.
- 12 Plures imperfectæ in civilibus conjunguntur ad unam perfectam efformandam.
- 13 Declaratur, dummodo sint perfectæ in genere suo.
- 14 De prohibito cumulo præsumptionum, quod declaratur.
- 15 Probatio præsumpta non admittitur in his, que sunt fundamentum intentionis.
- 16 Non dicitur perfectæ illa probatio que habet contrariam possibilitatem.
- 17 Declaratur, & quando probatio præsumptionis sit perfectæ probatio.  
 Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.

- 18 Quare desiderandus veniat Iudex doctus & iudiciosus, & quomodo verificetur adagium super causarum fato, & syderibus.
- 19 De probatione ex iudicio peritorum.
- 20 De diversis speciebus peritorum, & qui sint periti testes, & periti arbitri.
- 21 De regula juris quod iudicio peritorum est deferendum.
- 22 Quomodo regulandi sint periti induciti tanquam testes.
- 23 De illis, qui deponunt tanquam periti assumpti à Iudice, vel à partibus, & de utraque forma deputationis.
- 24 De differentia inter istas species peritorum, & præsertim circa recusationem ex capite suspicionis, & de praxi.
- 25 Deferendum est tertio perito electo in casu discordie, neque devenire debet ad ulteriorem electionem, & quando secus.
- 26 An dicitur tertius peritus teneatur adherere uni ex duobus discordantibus.
- 27 An in relationibus peritorum necessaria sit partium citatio.
- 28 Unde proveniat, quod ista relationes peritorum magis moras causis parent.
- 29 De stylo vel praxi eligendi peritos extrajudicialiter ad solam informationem, vel instructionem animi Iudicis.
- 30 Damnatur stylus eligendi duos peritos à partibus nominandos, ut deinde eligatur tertius, sed quod Iudex debeat eum ab initio deputare.
- 31 Peritis se ingerentibus in his, que non pertinent ad eorum peritiam, sed ad Iudicem, non est deferendum.
- 32 Quod debeat peritis præscribi forma referendi, vel exercendi eorum peritiam.
- 33 De errore peritorum in estimatione bonorum, & quomodo ista fieri debeat.
- 34 Quatuor estimatio sit difficilis, & quod periti estimatorum debeant assignare rationes.
- 35 An peritus debeat referre distinctè pretium singulorum membrorum.
- 36 An possint estimari à peritis bona consumpta, vel alia non existentia.
- 37 Ad electionem peritorum deveniendum est in subsidium.
- 38 An liquidatio præcedere debeat sententiam, que alia sit nulla ex hoc defectu.
- 39 Exequutio pro re illiquida fieri non potest, sed bene condemnatio.
- 40 De distinctione diversorum pretiorum.
- 41 De valore merè civili, & quod non dicitur illiquidum id, quod potest liquidari cum sola calculatione arithmetica.
- 42 Quando proprie dicitur creditum illiquidum, & non exequibile.
- 43 De eodem, ac declaratur.
- 44 An & quando detur appellatio à liquidatione remissive.
- 45 Liquidum non est retardandum ob illiquidum.
- 46 De liquidatione pretii naturæ bonorum stabilium, & aliquorum mobilium, puta gemmarum, & tabellarum picturarum.
- 47 De estimatione stabilium ex fructu ad rationem quinque pro centenario.
- 48 Quid de feudilibus, vel jurisdictionalibus.
- 49 Quomodo dicta conclusio præcedat circa estimationem regulandam ex fructibus.



- 50 De *seodem*, & de *circumstantiis*, vel *accidentibus*, qua *valorem alterant*.
- 51 De *pretio victualium*, *mercium usualium*.
- 52 De *distinctione pretii maximi, medii, & infimi*.
- 53 De *pretio locorum montium*, & *censum*, & *aliorum huiusmodi intrinsecum*, & *extrinsecum*.
- 55 De *pañis minuentibus valorem*, & *praesertim de pacto de retrovendendo*.
- 56 *Solutio prompta*, vel *dilatata alterat de valore*.
- 57 *Item modus venditionis magna, vel diminuta*.
- 58 De *liquidatione fructuum*.
- 59 De *liquidatione mercium assicuratarum*.
- 90 De *liquidatione conventionali lucrorum in negotiis liberis*.
- 61 *In maiori summa inest minor, ideoque in minori periti dicuntur concordēs, & in eo fit condemnatio*.

## DISC. XXXIII.

1 **I**lla incapacitas regulae certae, & generalis, quae dignoscitur in supra recensitis speciebus probationum, & praesertim in illa per testes, de qua actum est *disc. proximè praecedenti*; Magis dignosci videtur in his aliis extraordinariis, ac minoris efficaciaci speciebus; Siquidem quatenus pertinet ad famam publicam, ista sine dubio insufficientis est, ad perfectam, & concludentem probationem, Producit verò aliquod adminiculum, sive aliquam probationem imperfectam, cum aliis imperfectis coniungendam; Sed qualis ponderis illa sit, regula non datur, cum pendeat ab eius magis vel minus qualificata, & bene facta probatione, & praesertim in civilibus ex distinctione facti antiqui, vel recentis, cum in antiquis maior eius operatio sit, *Mascard. de probat. concl. 753. Royas decis. 96. decis. 424. par. 5. rec. Gregor. & add. decis. 387.*

2 De ista verò specie probationis magis in criminalibus, quam in civilibus agi solet; Siquidem Criminalista fiscales, ex publica fama, inditium contra diffamatum concipere solent patrati criminis, cumulando etiam aliam malam famam, circa vitam, & mores eiusdem; E converso autem, Criminalista defensores, praecipuum facere solent studium in probatione bonae vocis, & famae inquisiti, circa vitam, & mores, & è converso malae famae testium examinatorum pro accusatore, nec non elide, re malam famam patrati criminis, utpotè ortam post inquisitionem, vel quærelam, aut carcerationem; Sive ortam à vocibus partis offensae, eiusque sequacium, cum similibus, de quibus (ex jam protestatis) mox non sunt partes agendi, *de his in criminalibus agunt relati per Farinac. quaest. 47. & alibi.*

3 In civilibus autem, sive de prophanis, sive de spiritualibus agatur, de hac specie probationis, potius incidenter agi solet; Puta in ea probatione famae, quae recensetur inter requisita praescriptionis immemorabilis; Aut de illa fama privilegii, ob quam in plerisque magnum robur tribuitur quadragenariae praescriptioni, *supra disc. 21.* Sive in beneficialibus, circa illam diffamationem criminum, quae sufficiens reputari solet in concursu ad postponendum aliquè alias magis dignum in eius praeelectione *de benef. disc. 70. & 71.* Aut circa diminutionem fidei testium de subornatione, vel falsitate aliorumve criminum diffamatorum, cum similibus.

Aut circa concernentia merita negotii princi-

palis, & actionis vel intentionis probationem, tanquam unum ex adminiculis, fama considerari solet in adminiculativa probatione directi domini, seu feudalis, vel emphyteuticæ qualitatis, & praesertim in antiquis; Ubi tamen de dominio agatur incidenter ad effectum scilicet solutionis canonum, vel affixionis lapidum, non autem ubi principaliter ad effectum devolutionis cum similibus, *tit. de emphyteus. disc. 37.*

Pro frequentiori autem praxi, magis principaliter de fama, seu publicæ reputationis probatione agi solet, ubi agatur de justificatione nobilitatis, ad effectum obtinendi habitum militarem iustitiæ in aliqua Religione, & praesertim in illa sancti Joannis Hierosolymitani, cuius occasione frequentius in Curia de hac specie probationis agi solet cum similibus, *tit. de Praeinent. disc. 32. & seqq.*

Verum, (ut praemissum est) id regulam non recipit, cum totum pendeat à qualitate probationis, ac etiam à qualitate causae, sive ab effectu ad quem ista probatio fiat, an scilicet principaliter, vel incidenter, nec non ab aliarum probationum, vel adminiculorum concursu, ut praesertim in probatione jurispatronatus, *tit. de iurepatron. disc. 57.* Vel jurisdictionis, & confinium, praxis docet; Ac propterea dicenda est materia posita in Iudicis arbitrio, regulanda ex singulorum casuum circumstantiis; Atque ad hunc effectum, Civilista, criminalistarum studio incumbunt, pro illuminatione intellectus, ut congruè applicare valeant activa passiva.

Super altera specie probationis per chronicas seu historias, frequenter quoque disputari solet, quem scilicet gradum constituat, atque in hoc non modica inter scribentes varietas dignoscitur, pro ut diversa scribendi occasio, vel requirentis oportunitas exegerit, ut praesertim contingit in venalibus scriptis Consulentiis; Quamvis enim generalis adhibeatur regula, seu distinctio, an agatur de chronica antiquis & probatis, in quibus nulla affectationis suspicio vigeat, vel è converso de modernis, aut aliis parum probatis, vel suspectis, *tit. de praeinent. disc. 2. & seqq. & 29. cum aliis relatis per add. ad decis. 529. par. 4. recent. tom. 3.* Attamen huiusmodi generalitates parum concludunt, cum totum pendeat à qualitate causarum, sive effectuum, ad quos probatio deducatur, an sint graves vel leves; Sive an principaliter, vel incidenter; Potissimè verò, & super omnia, à concursu aliorum adminiculorum, sine quibus non defacili datur casus, ut hac sola probatio sufficiat.

Idemque circa aliam speciem probationis, quae deduci solet ab inscriptionibus in marmore, vel in columnas, sive etiam in pariete, quoniam proceditur cum eisdem generalitatibus, & praesertim circa antiquitatem, & fortius circa occasionem illam faciendi, an habeat, nec ne affectationis suspicionem, aliorum adminiculorum fomentum, *dicto disc. 2. & seqq. de praeinent.*

Super tæxeris, quae inter rusticos, vel artifices, aut super victualium, aliarumque rerum manualium contractione adhiberi solent, quaestiones cadunt quam fidem merentur, & pariter certa non cadit regula, cum totum pendeat à stylo regionis, & à facti qualitate, *Guarb. obser. 31. dec. 39. par. 7. rec. tit. de cred. disc. 73. Antolin. in commentar. ad Bullam pistorum.*

Generaliter idem fortius dicendum est in praesumpta, vel adminiculativa probatione, quae ex pluribus



11 pluribus conjecturis vel adminiculis & præsumptionibus simul junctis, cum regula, ut singula, quæ non profunt. &c. deduci prætendatur; Id etenim longe minus recipit regulam, cum totum pendeat à singulorum casuum circumstantiis, ex quibus, in uno casu aliqua adminicula sufficientia reputentur; In altero autem eadem, ac alia majora simul juncta, insufficientia sint; Unde propterea frequens & quotidiana praxis docet, earumdem conjecturarum, vel eorundem adminiculorum, approbationem, & reprobanonem respectivè; Ut frequenter, circa istam conjecturalem, vel adminiculativam speciem probationis, in omni penè materia advertitur, præsertim verò in illa ultimarum voluntatum; Considerando potissimè effectum, ad quem probatio fiat, an scilicet principaliter vel incidenter, & an ad graves, vel ad leves effectus; Ideoque nimium evidens, atque irrisione dignus est Pragmaticorum ineptus & erroneus usus, in his materiis, vel probationibus conjecturalibus, vel præsumptivis, procedere cum generalitatibus, vel cum litera doctrinarum, & decisionum, quæ diversorum casuum occasione prodierint, cum totum pendeat à singulorum qualitate & circumstantiis.

12 Generalis itaq; ac vera est juris regula, quod præsertim in civilibus, probatio præsumpta, sive adminiculativa, ad gradum perfectæ & concludentis devenire potest, adeo ut quandoque liquidissima quoque illa dicatur, ob conjunctionem plurium imperfectarum probationum, quæ in civilibus datur ad unam perfectam constituendam; *Gabr. de probat. concl. 1. Buratt. dec. 419. & sapius.* Verum punctus est in applicatione, pro qua utique certa non adest regula.

13 Ad illud autem potissimum reflectendum est, ut omnes species imperfectæ, tales sint, ut dici mereantur perfectæ in genere suo, cum aliàs, data singularum imperfectione, dicta conjunctio non intret, *dec. 103. par. 5. rec. & frequenter.* Siquidem ut alibi advertitur, meaque frequens est dicendi consuetudo, quod etiam subtilissimi filii, qui per se ipsos nimium fragiles sint, & non apti ad ligandum, quoties in suo genere sint boni, si simul jungantur, efformant magnam funem, sed si omnes sint corrupti, ac ac in suo genere invalidi, quamvis eorum conjunctio fiat, tunc sufficiens funis exinde efformari non potest, quoniam centum nihil valent, quantum unum nihil.

14 Reflectendum quoque est ad qualitatem præsumptionum, ut oriantur ex vero, non autem ex ficto, vel præsumpto, cum lex abhorreat fictum ex ficto, sive præsumptionum cumulum in idem; Nisi agatur de illa præsumptione dependenti & consequitiva, quæ nascatur tanquam effectus alterius.

15 Et quamvis juxta probabiliorem opinionem, quam præsertim Romana Curia retinet, præsumpta probatio, non admittatur in iis, quæ sunt fundamentum intentionis agentis, vel excipientis, *add. ad Gregor. dec. 153. dec. 202. nu. 4. p. 5. rec. tit. de cred. disc. 105. & pluries.* Ex ea congrua ratione,

16 quod nunquam perfectæ, & concludens dici potest illa probatio, quæ contrariam habeat possibilitatem dicto tit. de cred. disc. 45. & frequenter. Attamen id non impedit supradictæ regulæ veritatem, quoniam; Aliud est probatio præsumpta; Aliud autem probatio vera, quæ resultat ex præsumptionibus simul junctis, ut superius agendo de probationibus in genere advertitur, *supra disc. 22.* Ideoque, magis in hac specie, quam in altera scripturarum, ac librorum, vel testimonii, intret id, quod *disc. præcedenti Card. de Luca de judiciis & judicialibus.*

advertitur, quod scilicet litigantes rogare debent Deum, ut prudentem & adæquati judicii ac integritatis Judicem eis tribuat.

18 Illoque præsertim respectu, verificari videtur adagium, quod *habent sua sydera lites*, sive quod datur causarum fatum, non quod à fato justitia pendeat; sed quia magis, vel minus prudens, ac adæquatam judicium, quod est huiusmodi probationum libra, longè diversa constituit pondera, Atque ad hos præsertim effectus in Judice perfecto considerandus est ille dotium & qualitatum cumulus, qui alibi insinuatur, *disc. 29. & 30. & 35. hoc tit. & in relatione Curie disc. 32.* Ac propterea magnam diversæ electionis rationem, Deo reddituri sunt Principes, & alii ad quos pertinet, quando aliter agant, cogitando providere personas, non autem munera, sive reflectendo ad interesse privatum, non autem ad bonum publicum.

19 Datur item frequenter in praxi illa species probationis, quæ fiat cum iudicio peritorum, quamvis etenim ista, pro frequentiori contingentiâ, accidentia potius, quam substantiam percutere soleat, puta estimationem, seu liquidationem valoris, vel alterius qualitatis, vel quantitatis, & sic declarationem, vel detectionem eius quod jam inest, sed nobis, pro nostri humani intellectus imbecillitate, ignotum est, certificari autem potest, mediantibus regulis allicuius artis vel scientiæ, unde propterea ad peritos, in ea recurrere oporteat.

20 Duplicis autem generis, huiusmodi periti reputantur, sive duplici modo adhiberi solent; Primò nempe, tanquam testes periti in arte, qui per Partes inducantur ad probandum id, quod ab eorum peritia pendeat, eo modo quo generaliter induci solent testes ad probandum id, quod consistat in factis eius noto, & sic quod illi sint testes facti, utpote principaliter deponentes per sensum corporis, quamvis pro rei qualitate intellectus, seu ingenii mixtura quoque adesse debeat, juxta ea quæ *disc. præcedenti*, insinuantur agendo de causa, vel ratione scientiæ per testes assignanda; Isti verò sint testes, juris potius, quam facti, id est, quod eorum testimonium principaliter pendeat, potius à iudicio intellectus, quam à sensibus corporeis, quamvis istorum mixtura quoque pro rerum qualitate accedere debeat.

Et altera est species illorum peritorum, qui potius ad iudicandum, quam ad testificandum assumi, vel adhiberi soleant per Judicem ex officio potius, quam per Partes; Atque perito juxta hanc speciem Arbitri, vel Assessoris, seu Consilarii terminus potius quam ille testis congruit.

Quemadmodum etenim Judici legum imperito, Assessor, vel Consiliarius, in eisdem legibus peritus datur, juxta ea quæ supra in Assessoris rubrica insinuantur, *supra disc. 7.* Ita ad instar, Judici quantumvis aliàs docto & literato in legibus, imperito tamen in ea arte seu ministerio, quo mediante ignotæ ac obscuræ veritatis lumen seu notitia habeatur, incumbit assumere peritum in eo munere, tanquam suum in ea parte, Assessorem, & Consiliarium.

21 Magna verò, ac notabilis est differentia inter unam & alteram speciem ideoque pariter manifestus est error illorum, qui cum generalitate propositionum, vel cum sola litera, & superficie doctrinarum ambulando, ad hanc distinctionem non reflectunt, sed pariformiter in omni casu procedunt, cū ea vera juris regula, quod iudicio peritorum in arte est deferendum, & potissimum ubi agatur de tertio electo in discordia, quoniam reflectendum est, an de perito unius vel alterius speciei agatur, *supell. dec.*



§ 4. *Bich. decis. 291. & 564. Buratt. & add. dec. 56. Gregor. dec. 261. 177. par. 10. rec. & sepius.* quoniam regula est generaliter & in abstracto vera, sed punctus est in applicatione.

Ubi etenim agitur de illis primi generis, qui scilicet tanquam testes induci sint per unam Partium, tunc non intrant solemnitates quae adhibenda sunt in eorum deputatione, vel in relatione per eos faciendae sive in informatione, quam à Partibus ad id monitis exquirere debent, juxta ea, quae inferius agendo de altero genere habentur, quoniam in hac specie peritorum, qui deponant tanquam testes, procedunt eadem regulae generales, quae *precedenti discursu* habentur sub testium examine, ac super eorumdem fide, & exceptionibus, cum in effectu sint testes, qui ab aliis non differunt, nisi quod (ut supra) alii testes sunt periti facti, cum principali operatione sensus corporei; Isti vero sunt periti juris, cum principali operatione ingenii sive intellectus in ea materia, vel professione.

In altero autem genere, quod non tanquam testes inducantur, sed potius tanquam consiliiarii & assessores, ut supra, tunc alia intrat distinctio, inter illos peritos, qui per Partes Judicis nominantur, & illos, qui per ipsum Judicem ex officio assumuntur; Atque in primo casu dupliciter quoque seu diversimodè deputatio fieri solet; Quandoque etenim utraque Pars in unius periti deputatione concordat, atque aequaliter in eo confidit, consensum praestando, ut Judex cum eius judicio vel relatione procedat; Et tunc huic perito, arbitri potius nomen, vel terminus congruit; Quadoque verò quaelibet Partium pro eius libito, sibi gratum, ac benevoluntarium peritum nominat, vel deputat; Et tunc istis peritis non congruit dictus terminus arbitratorum, nisi quoties in utrumque ambarum partium consensus simultaneus concurrat; Minusque congruit terminus assessoris, vel Consiliiarii, neque alter testis, sed potius terminus sapientis, tanquam per speciem Advocatorum vel Procuratorum, quos quaelibet Partium deputat ad informandum Judicem de suis juribus; Advocati enim & Procuratores assumuntur tanquam sapientes, & periti, in legibus; Isti vero tanquam sapientes, & periti in illa arte vel professione; Unde propterea in istorum relatione solemnitates non desiderantur in eo, cui arbitri titulus ut supra congruat; Vel in altero deputato per Judicem ex officio, cui convenit dictus alter titulus assessoris, vel consiliiarii; Minusque congruit dicta regula, quod peritorum judicio est deferendum, dum ea solum congruit, quando arbitri, vel assessoris respectivè partes gerat.

Ea verò differentia dignoscitur inter casum, in quo peritus tanquam arbiter à partibus sit electus; & alterum in quo sit assumptus per Judicem tanquam assessor vel consiliiarius, quod in primo casu non intrat in recusatio ex causa suspicionis, ut sine dubio intrat in altero, cum recusari non valeat ille, qui concorditer est electus, *Cavaler. decis. 178.*

Quare ad tollendos circuitus, qui ex huiusmodi recitationibus manant, evitandaque subterfugia, servat praxis idem quod in deputatione Judicis vel consultoris supra insinuatum est, citandi scilicet Partes ad dandum listam confidentium, & diffidentium, ut ita valeat Judex eligere unum ex iis qui, per utramque Partem inter confidentes positus sit, sive alterum, qui non legatur inter diffidentes ab utraque Parte datos in lista.

Frequentior tamen Curiae praxis est ut quaelibet

Partium nominet suum peritum benevoluntarium; Atque ex hoc manat illud inconveniens, quod pene semper inter eos dignoscitur notabilis discordantia, quoniam isto casu periti non gerunt partes arbitratorum vel assessorum, sed aliae partes procuratorum, vel defensorum respectivè quod scilicet quilibet est defensor & patrocinator illius Partis, quae ipsum elegit, ac propterea devenire oportet ad deputationem tertii faciendam per Judicem, atque in hac deputatione adhibetur dicta cautela vel praxis citandi ad dandum listam ut ita occurratur dilationibus, quas recitationes producunt.

Huic autem tertio deferendum esse receptum est pro regula cum denegatione alterius deputationis, ne deur processus in infinitum, *Bich. dicta dec. 564. Buratt. & add. dec. 70.*

Verum, quando de istius aliquibus erroribus doceatur, vel aliqua suspicio habeatur, adhuc ista regula limitari solet, atque devenitur ad deputationem quarti peritoris; Ideoque super hoc certa regula statui non potest, cuicumque casui applicabilis, cum sit materia arbitraria, quae ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda est, in ratione limitationis contra regulam.

Super isto autem tertio perito, cadit quaestio, an teneatur adherere uni ex duobus, ad effectum, ut ita concludatur majorem partem vel potius discordando ab utroque, eius judicium quamvis singulare, attendendum veniat; Et quamvis non desint plures tenentes primam partem; Attamen haec posterior in praxi magis recepta est, *Buratt. & add. dec. 56. dec. 111. par. 7. rec. Bich. dec. 291.*

Et merito quidem, quoniam primis duobus, ut supra congruit, potius nomen vel terminus partium defensorum; Huic autem tertio convenit alter terminus assessoris, vel instructoris Judicis, ideoque sicut ille assessor, qui tanquam peritus in legibus assumitur, *supra disc. 4.* non tenetur adherere uni ex Advocatis Partium, sed potest ab utroque discordare, aliquam mediam viam eligendo, sive excitare nova motiva, & fundamenta, quae ab ipsis Advocatis & defensoribus deducta non sint, ut frequenter praxis docet, *juxta casum praesertim de quo sub tit. de success. ab intest. disc. 3.* Ita in praesentia.

Item super relatione periti, sive sit unicus, sive tertius, qui per Judicem ex officio deputatus fuerit, adeo ut gerat dictas partes assessoris, vel consultoris, quaestio cadit, an in relatione danda, necessaria sit Partium citatio praecisa, & judicialis eo modo quo in sententia vel in decreto, aut in testium examine aliter actibus judicialibus requiritur, in praecedentibus advertitur; Et quamvis pro consueto stylo Juristarum non desint opiniones hinc inde; Probabilior tamen videtur opinio negativa; Quoties non obstat stylus Tribunalis, cui deferendum veniret *Buratt. & add. dec. 56. & 70.* Siquidem peritus, quando suam relationem complevit, illam dare solet Judici, vel eam ponere in actis, ut plurimum clausam, & sigillatam; Quare illa Pars, cuius interest illam aperiri, atque ad eius formam, ad sententiam vel ad alium actum procedi, citat ad id alteram Partem; istaque citatio necessaria est, ad effectum, ut altera Pars, habita relationis notitia, illam inspicere valeat, atque docere de erroribus, ut propterea Judex non debeat eam sequi, sed peritiorè deputares bene tamen praecedere debent aliquae monitiones Partium ad informandum ipsum peritum, ut auditis praetensionibus hinc inde, possit



possit fundatè suum proferre iudicium, quando spontè id Partes non egerint, ut frequentior praxis docet, *Burrat. & add. dicta dec. 56. & 70.* Verum istæ monitiones non sunt actus judiciales, sed extrajudiciales, Prudenter tamen servari debent, ne facilis detur causa impugandi relationem ut potè factam per non informatum.

Atque hinc sequitur, quod causæ, in quibus peritorum iudicium requiritur, magnam pati solent protractionem, non solum ob recusationem, seu dilaciones in concordando de non suspecto, & ob impugnationes relationis tertii, sed etiam quia illa Pars, cuius interest causam in longum protrahi (ut in Reis & possessoris contingit,) studere solet, ut eius peritus nimium tardus existat, adeo ut quandoque, factis monitionibus, vel præfixis terminis, pro diversa Tribunalium praxi, procedere oporteat ad expeditionem causæ cum sola relatione unius periti, idque deservire solet ad majorem protractionem, & turbiditatem in gradu appellationis, quoniam cum (sine tamen præiudicio proborum,) magis commune huiusmodi peritorum, qui ab ipsis Partibus eligantur, vitium sit gerere partes, non quidem arbitri, vel assessoris, sed illas defensoris more Advocati, vel Procuratoris; Hinc sequitur, quod ut plurimum relationes peritorum electorum per Partes continent exorbitantias, atque vitiosæ sint in utroque extremo; Unde propterea sententia vel decreta in conformitatem unius relationis, non possunt sustineri, & sic est inutiliter terere tempus & pecuniam; Verùm ista sunt mala humanæ conditioni connaturalia, quibus impossibile videtur occurrere; Siquidem, ut docent historia potentissimæ, & prudentissimæ Romanæ Reipublicæ per continuatum spatium decem sæculorum, & ultra, cordi fuit leges ordinare, ut his malis occurreretur, & tamen non fuit possibile, ut etiam in omnibus Principatibus quotidiana praxis docet, quoniam oporteret invenire medicinam eradicativam causæ reproductivæ huius malis id est humanæ malitiæ.

Quando autem causæ qualitas sit talis, ut exigat quidem aliquod iudicium peritorum, pro meliori instructione animi Iudicis, eiusque minori incommodo, adeo ut non sit præcise necessarium, ipseque Iudex volens posset ex se illius rei noticiam obtinere; Ut (ex. gr.) pro frequentiori praxi contingit in recognitione librorum mercantiorum, an sint bene & legaliter tenti; Sive in recognitione vel dispositione partitarum & calculorum; Aut in recognitione spaciolorum, seu literarum pro justificatione cambiorum, cum similibus; & sic, quod agatur de illis rebus, quæ consistant in iudicio intellectus, potius quam in eo opere mechanico, quod explicari non potest per iudicem, sed per necessesse explicandum est per peritum in arte vel ministerio; Et tunc extrajudicialiter, imò clam à Partibus deputari solet aliquis notæ, ac probatæ fidei mercator, vel ratiocinator, qui recognoscas, ac referat ad aures, seu in forma extrajudiciali pro sola instructione animi, *practicatum in casu de quo tit. de cambis disc. 1.* Idque etiam quandoque fieri solet, adhibendo peritos scriptores, ad effectum se melius certificandi de recognitione scripturæ, quæ facta sit per testes habentes notam manuum, vel per comparisonem, *dec. 336. par. 13. rec. & habetur supra disc. 29.*

Id autem præsertim praticari solet per Rotam, & quandoque etiam per Cameram, Et sic per magna & collegiata Tribunalia, quæ huiusmodi licentia *Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

tias libentius sibi assumunt, quam faciunt unici Iudices inferiores, in quibus etiam commendabilior videtur alter stylus, quem pluries consului praticandum, quod scilicet, refecatis tot circuitibus & dilationibus resultantibus à peritis eligendis per partes, illicò, atque ab initio, prævia dicta monitione ad dandum iustam confidentium, & diffidentium (ut ita evitetur ille circuitus qui resultare solet à recusationibus) deputetur ille, qui post temporis & pecuniæ inutilitatem, & calumniosam consumptionem, deputari solet tanquam tertius, ita quo magis fieri potest occurrendo calumniis litigantium, dum experientia docet, quod (ut supra advertitur) ferè unquam periti hinc inde per Partes electi, vel nominati, benè faciant suum officium, sed assumant partes procuratoris, vel defensoris; Unde propterea remanet circuitus merè inanis ac evitandus, ita docente experientia rerum magistræ.

Aliud quoque huiusmodi peritorum commune vitium esse solet, se non continendi intra cancellos propriæ artis, vel peritiæ, sed assumendi partes Iudicis, atque iudicandi de iis, quæ sunt de iure; Id autem peritis est prohibitum, ideoque in his non est eis deferendum, *Gregor. dec. 244. Ottob. dec. 205. Duno. ett. de cis. 826. in fine.* Atque id pariter dilaciones, & circuitus parere solet; A deo ut quandoque Rota, alique Iudices, cogantur eis præscribere modum præcisum, ad recognoscendum scilicet, hoc, & hoc, atque ad referendum sic, & sic; Idque forsitan expediret, semper, & in omni deputatione servare; & tamen quandoque neque id sufficit, quoniam, hoc non obstante, assumere volunt partes Iudicum, seu Jurisconsultorum, ut pluries erperitum sum.

Item etiam circa propriam artem, vel peritiæ, frequenter neque suum officium bene exercent; Ut præsertim contingit in peritis æstimatoribus, quoniam æstimando aliquam domum, vel aliud ædificium, ad effectum inspiciendi, an adsit læsio; Sive ad effectum adjudicandi rem creditori, cum similibus; Mensurant muros, & singula cæmenta, ea æstimando per partes, perinde ac si æstimari deberent operæ fabrorum, qui ædificia construxerunt, non reflectendo quod ad huiusmodi effectus attendi debet ille valor, pro quo ea res, ex communi iudicio vendi posset, vel quod communiter æstimetur, habendo rationem nobilium, vel ignobilium cæmentorum; Potissimè verò ac principaliter rationem novitatis seu vetustatis ædificii, vel arborum seu vitum, &c. quoniam stat bene simul, ut in ædificio (ex. gr.) urbano vel suburbano facta sit magna impensa, & tamen quod nullam vel modicam afferat utilitatem in fructu, adeo ut non inveniat emptorem pro decima parte eius quod erogatum sit; Sive quod ædificium sit fructiferum, quodque pro eius structura, & commoditatibus, de præsentibus reddat quidem eundem fructum, quem de præterito reddere consuevit, non per hoc tamen eam mereatur æstimationem, quam meruisset annis decursis, ob eius vetustatem, ob quam oporteat magnum facere sumptum pro eius renovatione; Idque frequenter etiam verificatur in prædiis rusticis, nempe in vineis, vel in arboretis, quoniam ob novitatem possunt esse de præsentibus modici fructus, tractu verò temporis etiam brevis fieri majoris; Et è converso ob vetustatem, possunt esse de præsentibus magni fructus, sed cum imminente infructuositate, cum similibus; Ideoq; media via pro facti qualitate teneri debet, *Duno. ett. dec. 686. Bich. dec. 564. & 609. Cavalier. dec. 358. Burrat. & ad dec. 538. tit. de empt. disc. 24.*



Hinc itaque manat, quod nimium difficilia sint  
 34 iudicia rescissionis, vel annulationis contractuum  
 ex capitulationis, quoties agatur de prædiis rusti-  
 cis, vel urbanis, aliisque similibus bonis, quæ ha-  
 beant pretium naturale omnino incertum ob diffi-  
 cultatem faciendi hanc perfectam, & concludentem  
 probationem iusti valoris, ut ad hunc effectum re-  
 quiratur; Ac propterea debet periti in æstimatione  
 assignare concludentes causas, vel rationes. *Buratt.*  
*& add. dicta decis. 538. cum aliis dicto disc. 24. tit. de*  
*empr. & vend. & tit. de feud. disc. 108.*

Atque in facti contingentia in nostra ætate, gravis  
 35 habita fuit disputatio in Rota, an peritus, qui tan-  
 quam arbiter, de concordia consensu deputatus es-  
 set per emptorem, & venditorem, ad æstimandum  
 castra & bona jurisdictionalia, quæ vendi solent, ad  
 rationem fructus, ut in feudali materia advertitur,  
 teneatur sigillatim distinguere singula corpora, vel  
 membra eorumque redditum; Atque pro distin-  
 ctione prodierunt resolutiones ad effectum se  
 regulandi, pro evictione, vel pro supplē-  
 tione, *tit. de feud. disc. 65. Dunozet. decis. 921.*  
*& 944.*

Apud nostros majores (& forsitan etiam nostra  
 36 ætate) impossibilis reputabatur æstimatio bonorum  
 consanctorum, seu quæ amplius non extant in loco,  
 adeo ut oculis peritorum subijci non possint; Ve-  
 rum apud modernos, ista impossibilitas cessavit,  
 cum recte iudicium peritorum formari valeat,  
 præsertim in bonis mobilibus ex eorum descrip-  
 tione, apud *Cels. decis. 356. & in aliis de quibus in casu*  
*de quo sub tit. de Regal. disc. 1.*

Procedunt omnia præmissa, & similia in iis, in  
 37 quibus peritorum iudicium sit omnino necessa-  
 rium, adeo ut alias rei veritas haberi non valeat,  
 quoniam in iure statutum est, ut eorum electio vel  
 deputatio subsidiaria censenda sit, neque ad eam de-  
 veniendum, nisi ubi alias rei veritas haberi non va-  
 leat. *decis. 52. par. 7. rec. decis. 32. par. 10.*

Sub genere, vel inspectione probationum, cadere  
 quoque solet materia liquidationis, Eaque duplicem  
 habet inspectionem; Primum scilicet super eius ne-  
 cessitate in genere, & quando procedere debeat,  
 adeo ut sententia vel decretum, illa non proceden-  
 te, nullitatis vitio subiacet; Et altera super modo  
 illam faciendi.

Quatenus itaque ad primam pertinet, distin-  
 38 ctio est, an de liquidatione fuerit oppositum ante  
 sententiam, nec ne; Primum enim casu oppositionis,  
 verus est magisque receptum, ut liquidatio præce-  
 dere debeat, atque alias eius defectus causet nullita-  
 tem; Secus autem in altero, quoniam illa quoque  
 subsequi potest, *Gregor. decis. 220. & 224. Ottob.*  
*decis. 7. & 174. in fin. Buratt. & add. decis. 653. &*  
*800. decis. 228. & 262. post Zacch. de oblig. ca-*  
*mer.*

Eius etenim præcisa necessitas consistit in exe-  
 39 cutione, non autem in condemnatione, ut scilicet  
 de re illiquida, executio fieri non valeat, proxime  
 supra de distinctione. Et per consequens cessante op-  
 positione post condemnationem fieri potest. Atque  
 pro frequentiori praxi fit post condemnationem,  
 sed ante executionem; Puta, condemnando ad  
 solvendam certam quantitatem frumenti, vini, vel  
 olei, &c. sive ad restitutionem damni illati, vel ad prez-  
 tium rei, quæ amplius non extet iuxta liquidationem  
 faciendam, quam idem Iudex sibi reservet.

Quo vero ad alteram inspectionem, super modo  
 40 illam faciendi, sive fiat antea, sive postea; Distinctio  
 est, inter pretii, seu valoris species diversas; Una

enim est illa, quæ dicitur pretii merè civilis; Altera  
 merè naturalis; & altera mixti utpote participan-  
 tis de utraque specie, saltem improprie, quia nempe  
 revera sit naturale, per accidens autem, sive pro  
 communi usu participet de civili, & è converso quia  
 verè sit civile, sed per accidens participet de natura-  
 li.

De prima specie merè civili, & certa, utpo-  
 te invariabili; Verè & proprie est creditum pec-  
 41 cuniarium, sive unicum, seu annuum, & reiterabile,  
 ut sunt (ex-gr.) fructus annuorum censuum, & red-  
 dituum, aliarumque præstationum, & tunc, licet  
 considerari soleat illiquiditas, ob incertitudinem,  
 quæ ita incontinenti habeatur, quid & quantum  
 debitum sit; Attamen quia summa, vel quantitas li-  
 quidari, seu certificari potest, cum solis calculis  
 arithmeticis, adeo ut necessaria non sit alia extrin-  
 seca, probatio vel æstimatio, sed cum regulis sum-  
 mandis, & subtrahendis, incontinenti certificatio se-  
 qui potest, & tunc verè & proprie non est liquida-  
 tio, quoniam ista est quid diversum à calculis, qui  
 in continenti, atque istu oculi fieri possunt; &  
 consequenter id redolet speciem exceptionis, quæ  
 consistat in iure, non autem in facto, juxta distin-  
 ctionem, de qua infra in rubrica exceptionum, quæ  
 apta sint executionem impedire. *Ottob. decis. 201.*  
*dec. 608. par. 3. rec. 576. par. 5. Cavaler. dec. 323.*

Et quamvis deputari quoque soleant periti cal-  
 culatores, ad effectum faciendi liquidationem sum-  
 mæ, quæ verè debita sit; Attamen ista est impropria  
 loquutio, dum periti deputantur ad majorem Judi-  
 cis commoditatem, atque pro eius adiutorio, dum  
 volens potest id explere per se ipsum, eo modo quo  
 Iudex jurisperitus, ac professor, qui licet ubi velit,  
 vel sit minus occupatus, valeat videre ea, quæ juris  
 sunt per se ipsum, adhibet tamen aliquem adju-  
 torem, vel professorem voluntarium, non autem ne-  
 cessarium juxta distinctionem, de qua supra in Ru-  
 brica Alesioris, supra disc. 4.

Tunc autem creditum pecuniarium dicitur illi-  
 42 quidum, quando creditor in eius causam recepit  
 bona, quorum valor, seu pretium sit naturale, & in-  
 certum, ideoque indiget extrinseca liquidatione;  
 Ut (ex-gr.) si in computum crediti habuerit credi-  
 tor frumentum, aut vinum, vel oleum, seu merces,  
 vel animalia, & similia bona, juxta frequentem pra-  
 xim, nullo statuto pretio, quoniam tunc illiquiditas  
 non provenit ab intrinseca natura ipsius crediti, sed  
 à deductione, quæ ab eo facienda est, valoris bono-  
 rum, quæ in eius causam data sunt; Ut præsertim  
 pro frequentiori praxi contingit in illis creditoribus  
 pecuniariis, qui fructus ex pignore prætorio, vel  
 conventionali perceperint, cum similibus, dum ita  
 incertum est, quid & quantum remaneat debendum  
 & per consequens liquidatio necessaria est saltem  
 ante executionem, ex ea ratione, quod potest in  
 nihilo creditor remanere, quinimò debitor, *decis.*  
*165. & 306. par. 7. rec. Cels. dec. 124. decis. 122. post*  
*Merlin. de pignor. & sapius tit. de credit. Ad in-*  
*star administratoris, qui non potest dici, neque*  
*debitor, neque creditor ante redditas rationes, ut*  
*alibi in sua materia advertitur, tit. de tutor. & admi-*  
*nistrat. disc. 6. & 17. & pluries sub tit. de credito.*

Adhuc tamen (ut pluries expertus sum) clarum  
 in hoc detegi solet æquivocum, pro confuctis prag-  
 43 maticorum erroribus, procedendi cum solis genera-  
 litatibus, vel in sola litera doctrinarum, quali quod  
 creditor magna quantitatis cum obligatione cam-  
 merali, vel cum alio pacto executivo, impeditus  
 esse debeat consequi totum creditum, ob aliqua  
 modica



modica bona debitoris, quæ ad eius manus pervenerint, priusquam fiat istorum liquidatio, quæ frequenter longum processum exigere solet, atque de jure est appellabilis etiam pluries, & in Curia semel, ut infra in appellationis rubrica advertitur;   
 44 *infra disc. 37.* Et consequenter, ita creditor prohiberetur, ad computum crediti recipere à debitore merces vel fructus, in quibus, ut plurimum præsertim ab iis, qui arti agrariæ vel rei rusticæ vacant, & à quibus ita pro frequentiori praxi, vel usu solutionem recipere oportet, quo nihil absurdius; Ideoque ista propositio, quæ de jure est vera, capienda non est in solo sensu verbali, more judaico, sed in sensu rationabili, id est inspecta ratione, cui innixa est; Et per consequens, quando relinquatur in suspensio illa summa, quam ad majorem rigorem, sive (ut dicitur) ad rationem quanti plurimi, illi fructus, vel illa bona importare possunt, non videtur quid prohibeat experiri reliquatum tanquam liquidum; Ex regula quod pars certa, & liquida retardari non debet per partem incertam, & illi quidam,   
 45 *Gregor. dec. 220. Ottob. decis. 32. dec. 74. par. 10. rec.*

Quo verò ad aliam oppositam speciem valoris, vel pretii merè naturalis; Illud ut plurimum verificatur in rebus stabilibus soli, nempe in prædiis rusticis vel urbanis, quorum valor omnino incertus est, utpote regulandus, partim à quantitate fructuum, quos producit, & partim à quantitatibus majoribus vel minoribus situationis, & cæmentorum; ac etiam juvenitibus vel senescentiæ &c. sive boni, vel mali status juxta ponderationes de quibus supra; Atque in hoc pretio præcisè necessaria est vera & formalis liquidatio.

Idque est etiam verificabile in aliquibus bonis mobilibus, quæ habeant pretium opinionis, vel affectionis, unde propterea, eadem, ac major dignoscitur incertitudo, ac varietas opinionum, etiam inter ipsos peritos; Ut (ex, gr.) contingit in gemmis, magis verò in tabulis pictis, vel in statu cum similibus, dum frequens praxis docet, quod eadem tabula, vel eadem gemma ab uno æstimetur mille, & ab altero vix æstimetur centum.

Et quamvis in rebus vorè stabilibus soli, ut sunt prædia rustica, & urbana, habeantur quædam propositiones generales, circa regulationem valoris in sorte ex fructibus, quasi quod, juxta sensum ejusdem celebris ac receptæ *glosæ res*, valeat quantum importent eius fructus, spatio annorum viginti, & sic ad rationem quinque pro centenario, quoties agatur de bonis privatis, ac indifferentibus; *Cels. decis. 253. Duno. est. decis. 672. Buratt. decis. 112.* Ubi verò de conspicuis, & qualificatis, quæ jurisdictionem, aliasque præeminencias annexas habent, ut tunc pretium excedat in duplo, ac propterea æstimatio sit ad rationem duorum cum dimidio; *ut. de feud. disc. 4. 19. & 124 & alibi pluries.* Undè propterea, cum risus, & quandoque cum magnæ bilis provocatione, in praxi experitur illos Judices,

48 qui innixi aliquibus decisionibus, ita simpliciter, ac indefinitè hanc propositionem firmantibus, credunt, quod istud sit Evangelium Sancti Joannis, seu quod sint verba inalterabilia formæ sacramenti, quodque distinctiones, quæ desuper cadunt, proveniant ex Advocatorum acumine, & ratiociniis.

Manifestus autem error est cum hujusmodi generalitatibus procedere, cum revera id certam regulam non habeat, cuiusque casus applicabilem, sed totum proveniat ex singulorum casuum parti-

culari qualitate, & circumstantiis, pro diversâ scilicet qualitate locorum, vel regionum, quia nempe in una provincia, vel regione, utpote magis mercantili; major habeatur copia pecuniæ numeratæ, vel respectivè major populus, atque minor amplitudo territorii; Sive in eadem regione, vel provincia, eadem differentia dignoscatur inter Regiam seu metropolitam Civitatem, & alias inferiores; Et comparative ad istas, & ad villas, aliaque loca parva; Aut pro qualitate situationum magna dignoscitur inæqualitas, quod scilicet in uno loco bona stabilia vix inveniunt emptorem ad septem & octo pro centenario; Et in alio vix inveniatur venditor ad tria & minus.

Ac etiam in eadem Civitate, vel in eodem territorio, magna dignoscitur differentia valoris inter unam speciem, seu qualitatem bonorum, & alteram, dum scilicet; Aliud est pretium casalium, & tenurarum, & Aliud vinearum; Sive aliud est pretium domuncularum, & Aliud palatiorum; Quinimò in eodem genere bonorum, puta casalium, & tenurarum, notabilis est differentia inter casalia magna, & 50 conspicua, vel respectivè in bono situ Urbi, vel mari proximo, seu aliis delitiosa, vel magis comoda, & parvas pedicas, vel casalia in situ magis remoto, vel incommodo, cum similibus.

Eademque proportio in omnibus intrat in bonis jurisdictionalibus, quoniam licet jurisdictio, & baronalis, seu dominicalis præeminencia notabiliter augeat de valore, non tamen eadem est regula Civitatum, & Oppidorum qualificatorum, seu alias in bono situ existentium, ac parvorum, & infelicitium castrorum, seu pagorum in montaneis.

Quinimò etiam ipsorum individuum bonorum individualium eiusdem loci valor solet esse varius juxta temporum contingencias; Dum alius est valor temporis pacifici & tranquillii, alius verò temporis calamitosi ob bellum divinum vel humanum, sive ob penuriam, aliaque accidentia; Imò fortius, etiam sine accidentibus perseverante eadem temporum tranquillitate, dignoscitur notabilis variatio ex contingentiis, quia nempe in uno tempore aderit magna copia pecuniarum, & emptorum, & penuria venditorum, seu occasio inveniendi; Et in alio tempore è converso aderit magna copia venditorum, & occasio, & penuria emptorum; Igitur prorsus fabulosum est clarumque ineptiam redolet, cum generalitatibus procedere.

Dantur præterea accidentia, quæ eiusdem rei individuali valorem notabiliter alterant; Et per consequens major detegitur dicta ineptia, quoniam major, vel minor securitas emptoris, vel evictionis pretium notabiliter auget, vel respectivè minuit; *S. urd. decis. 30. Buratt. & add. decis. 675. & 761. & in locis proximè infra.* Sive eiusdem rei qualitas, vel vinculum, quoniam alius est valor bonorum liberorum; Et alius est vinculorum, vel subjeutorum alicui devolutioni, vel prohibitioni, *ut. de Regal. disc. 30. cum duob. segg. & alibi pluries;* Undè propterea eiusdem Civitatis, vel Castri longè diversum est pretium, quando habeat naturam allodii, & quando habeat illam feudi; Ac etiam in eadem natura feudi, variatur valor à magis stricta vel larga specie investituræ, vel ipsa feudali servitute pro legibus & moribus regionum, cum similibus accidentibus, quæ eiusdem rei substantiam alterant, ut majorem,



rem, vel minorem valorem habeat *dicto disc. 19. & 24. de feud.*

Quo vero ad tertiam speciem mixtam; Illa (ut praemissum est,) subdividitur in duas; Alia etenim sunt bona vel iura, quae verè & propriè habent pretium naturale variabile, sed pro eorum qualitate participant de pretio civili certo; Et alia è converso sunt illa, quae propriè habent pretium civile & certum, sed per accidens participare dicuntur de pretio naturali incerto & variabili.

De prima specie videntur ea, quae sunt in communi, & usuali commercio, à quo, sive à publico negotiantium foro, pro temporum qualitate, quandam speciem pretii civilis, & certi, habere dicuntur; Ut (ex. gr.) sunt, fomentum, vinum, oleum, blades, aliaque victualia; Sive merces lanae, vel serici & similia bona usualia, quae juxta diversas eorum quaedam qualitates, sive juxta temporum contingentias, quoddam pretium commune, & quodammodo certum, ac uniforme habere solent, aptum tamen juxta temporum contingentias, valde notabilem ac maximam recipere alterationem, undè propterea in odium morosi intrat in eis obligatio ad pretium quanti plurimi intra illud tempus, in quo conservari potuerint, *tit. de empt. & vend. disc. 14.* dum in istis non cadit illa ratio affectionis, vel alia quae cadit in stabilibus, vel in gemmis, & tabulis pictis, sed habere dicuntur quoddam pretium commune, & quodammodo uniforme seu civile, à publico foro, seu à communi commercio in tempora taxatum.

Adhuc tamen in isto pretio intrat distinctio trium specierum, nempe maximi, medii, & infimi; Atque intra istas species, pretium est regulandum ex prudenti arbitrio pro facti circumstantiis, Ideoque certa regula desuper statui non potest, *Capyc. Latr. dec. 2. tit. de Regal. disc. 117. & alibi.*

Alia vero è converso sunt bona vel iura, quae verè, & propriè habent pretium certum, & civile invariable; Verum pro eorum accidentali qualitate, participant etiam de altera specie pretii naturalis incerti, & variabilis; Ut (ex. gr.) sunt loca montium, & census, ac etiam nomina debitorum, & similia; Siquidem pretium locorum montium intrinsicum, est civile, ac invariable, juxta legem suae erectionis, puta ad rationem scutorum centum pro quolibet; Et tamen, juxta quotidianam praxim, habent aliud pretium incertum, & variabile, quod extrinsecum vocatur, utpote dependens ab eorum bona opinione, ac difficultate illa emendi cum pretio intrinseco; Sive è converso ob eorum malam opinionem modicæ securitatis dotis, vel ob difficilem exactionem fructuum, idem pretium civile intrinsicum, notabilem recipere solet diminutionem, absque eo quod regula desuper statui valeat, cum totum pendeat à temporum contingentia, *dicto disc. 30. & seqq. tit. de Regal.* Bene verum, quod ista accidentalis variatio pretii extrinseci, sapere videtur de eadem natura mercium, ac victualium ut supra, quod scilicet à commercio, seu à foro quandam taxam uniformem recipere videatur in modico variabilem; Illaque est variatio omninò incerta, quae speciem pretii naturalis redolet, quando pendeat à vinculis accidentalibus, adeò ut emptor, per quamdam speciem emptionis incertæ aleæ, aliquibus periculis se exponat, ut in eorumdem locorum montium materia latius explicatur, *locis proximè citatis.*

Idemque, ex eisdem rationibus proportionabi-

liter procedit in nominibus debitorum, ac etiam in censibus, aliisque similibus juribus; quoniam licet praesertim census ad formam Bullæ Planæ habeant pretium omninò certum, in quo cum forma pecuniæ numeratæ creati debent, & cum eodem debent redimi; At tamen jam creati, & existentes, esse possunt in commercio inter tertios, tanquam species, pro majori vel minori pretio, juxta eorum bonam, vel malam qualitatem; Et sic cum dicta mixtura pretii intrinseci, & extrinseci, seu civilis certi, & accidentalis incerti, *Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 27. Olea de cess. iur. tit. 6. quest. 10. Duran. dec. 235. dicto tit. de Regal. disc. 30. & seq. & alibi pluries.*

Quinimò (quod magis) idem verificatur in ipsamet pecunia numerata, quae omnium clarius habet pretium civile, ac certum, & non recusabile, utpote publica auctoritate determinatum; Et tamen in voluntario commercio dignoscitur eadem notabilis differentia ratione materiæ, seu qualitatis monetæ; Siquidem (ex. gr.) aliquandò juxta praxim Italiae, sive moneta sit aurea stamparum, quae dicuntur novæ, vel stamparum veterum, sive sit argentea vel aeneas aut mixta, suum habet pretium civile uniforme, adeò ut tanta sint mille scuta de una, quanta sint de altera specie monetæ; Et tamen scuti auri stamparum novarum currentium habent quoddam augmentum extrinsecum duorum vel trium pro centenario, plus vel minus, quod non habent scuti auri stamparum veterum; Et quoad alias monetas inferioris materiæ, seu ligæ, illæ recipiunt notabilem diminutionem, adeò ut pro locorum ac temporum contingentia, eadem scuta centum, non valeant nonaginta, & minus, cum similibus, *tit. de credito disc. 140. & tit. de feud. disc. 99. & alibi pluries.*

Datur item casus, quod eadem res individuales, in eodem loco, atque inter eandem personas recipiant notabilem differentiam, vel alterationem pretii, ob pacta alterativa, quae minuunt, vel respectivè augent de valore, Ut praesertim pro frequentiori praxi habemus in pacto de retrovendendo, quod notabiliter minuit pretium; Nimium de more variantibus Doctoribus, an sit in sexta, vel in quinta, aut in quarta parte &c. Verius autem est, ut id certum non habeat regulam, sed sit arbitrarium pro singulorum casuum circumstantiis. *Franch. & add. dec. 17. & 99. Buratt. & add. dec. 62. Duozetti. dec. 801. dec. 12. par. 6. rec.*

Verum etiam eandem notabilem alterationem causat modus emptionis, & venditionis, quia nempe; Aliud sit pretium in pecunia numerata; Et aliud pecunia credita, seu habita eius fide, juxta majorem, vel minorem dilationem; Undè propterea Canonistæ & Morales tot desuper retexunt quaestiones in materia usuraria; Aut circa alium modum, quod è converso pretium detur promptè, bona verò danda sint ad aliquod tempus, super quo eadem usurariae quaestiones haberi solent, *tit. de usur.*

Sive quod agatur de venditionibus magnis, ut vulgò dicitur *all' in grosso*, vel è converso parvis, ut vulgò dicitur, à *minuto*, cum pro longè minori pretio fiant prima, quam alia, *tit. de Regal. disc. 117.* Considerando etiam, an venditio admixtum habeat jus privativum favore emptoris; nec ut *ibidem*, cum similibus circumstantiis, ex quibus majus, vel minus pretium est regulandum; Et consequenter clarus error est, ac manifesta ineptia, cum generali-



ralitatibus, vel cum aliquibus doctrinis indefinite procedere.

Præterea dari solet duplex illiquiditas seu incertitudo, que liquidatione seu certificatione indigeat; Una scilicet quoad substantiam; Et altera quoad pretium; Ut præsertim pro frequentiori praxi contingit in liquidatione fructuum perceptorum ex aliquibus bonis, quoniam adest prima incertitudo super eorum qualitate; & quantitate, Hisque firmatis, adest altera super pretio, quod in dies & tempora ut supra notabiliter variari solet. Hinc proinde hæc materia liquidationis fructuum, reputatur difficilis probationis, & per consequens etiam levioris, ac præsumptæ probationes admittuntur, recurriendo ad instrumenta locationum, vel ad libros gabellarum, sive ad id quod fructaverint prædia adjacentia, cum similibus argumentis, cum quibus procedi solet. *Buratt. & add. decis. 173. Octob. dec. 166. Duno. et. decis. 672. Bich. decis. 495. & 503. decis. 201. par. 10. rec.*

Hujus etiam incertitudinis, seu illiquiditatis, majores quæstiones haberi solent, in materia ascurationum, tam super valore mercium, quam etiam super qualitate loci, qui attendi debeat pro eorum æstimatione, an scilicet ille, a quo, vel ille ad quem, vel medius, ut in sua sede advertitur, idèd que laudatur conventionalis taxa ab initio ad hujusmodi inextricabiles quæstiones dirimendas, *tit. de credito disc. 106. cum plur. seqq.*

Idemque in societatibus seu negotiis socialibus super liquidatione lucrorum, unde propterea verisimiles Partium conventiones, vel taxæ ab initio laudantur, ut in usurarum ac societatum sedibus advertitur cum similibus, *tit. de usur. & tit. de societ. offic. pluries.*

In casu demum discordiæ peritorum, procedi etiam solet cum regula, quæ habetur in testibus, quod scilicet in majori summa inest minor, in qua dicuntur concordēs; Undè propterea, si (ex. gr.) unus peritus æstimat seu liquidat in decem, & alter in quindecim, tunc in minori summa decem dicuntur concordēs, ideoque in ea sequi potest condemnatio, cum non debeat illud plus, quod est illiquidum, impedire partem liquidam; in qua verificatur concordē iudicium. *Merlin. decis. 246. add. ad Gregor. decis. 558. Ciriac. contrav. 159. qui varias refert opiniones; & est materia arbitraria pro stylis, vel facti circumstantiis.*

De aliis actis inter probationes, & sententiam, vel decretum, pro compilatione processus.

### SUMMARIUM.

- 1 **N**ON datur terminus particularis ad reprobandum testes, dum continetur in remissoria, cujus terminus est communis utrique parti.
- 2 De publicatione post factas probationes, & an sit de substantia iudicii.
- 3 Post publicationem non admittuntur novæ probationes per testes.
- 4 De primo, & secundo beneficio concedi solito ad hunc effectum.
- 5 De conclusione in causa.
- 6 Quod non sint in usu in Curia isti formales actus publicationis, & conclusionis.

- 7 De foro Capitolino.
- 8 De eodem de quo num. 6. circa non usum publicationis.
- 9 Et de non usu conclusionis ut scripturae semper, & quodcumque produci valeant.
- 10 De compulsoria.
- 11 De modo recipiendi scripturas productas post causam instructam.
- 12 Monentur Episcopi, & alique Indices fori ecclesiastici quomodo procedere debeant.
- 13 De terminis substantialibus sine quibus sententia est nulla.
- 14 De illorum sanatione, quando intrer.
- 15 De materia declarationis circa usum.
- 16 Quare in Curia ea sit rara, & qualis sit eius praxis.
- 17 Damnatur usus respondendi positionibus, & quando, & quomodo servari deberet.
- 18 De citatione ad sententiam, sine qua ea est nulla.
- 19 Quomodo concipi debeat.
- 20 De stylo Hispaniarum, ut conclusio in causa stet loco hujus citationis.
- 21 Quare in causis de partibus sententia soleant esse nulla.
- 22 De circumductione citationis, & de differentia in Curia, & extrâ.
- 23 Quare etiam extra Curiam ista nullitas non de facili vincatur, & de praxi producendi scripturas extra Curiam.
- 24 De citatione ad sententiam ad primam cum continuatione, quantum se extendat.
- 25 Quod in Curia non admittatur stylus Tribunalium secularium circa dictam continuationem.
- 26 De stylo Curie circa terminum pro servato, & in quo differat à dicto alio stylo.
- 27 De eodem de quo num. 25.
- 28 Citatio ad sententiam non requiritur parte presente, quod declaratur.
- 29 An subsistatur citatio pro eadem die.
- 30 De pluribus casibus, in quibus citatio prædicta non requiritur.
- 31 Quid in Congregatione Baronum.
- 32 Quando constat de negativa citationis.

### DISC. XXXIV.

**F**Actis hinc inde probationibus, tam super iis, quæ concernunt merita causæ, quam super diffinitione probationum, quæ per unam Partem factæ sint, quarum exclusioni, vel reprobandi altera Pars incumbat cum testium præsertim exceptionibus, vel repulsa, & super qua, Curie stylus est, non dandi terminum, vel remissoriam distinctionem, sed quod terminus, vel respectivè remissoria sit utrique Parti communis, ad probandum, ac ad reprobandum respectivè, ut ita quo magis fieri potest, litigantium calumniis, ac inanibus dilationibus occurratur, supra disc. 31. & sequi.

Juxta juris communis ordinem judicarium servandum in causis ordinariis, (de quibus hucusque est sermo,) devenitur ad publicationem; quæ prævia citatione alterius Partis, regulariter necessaria est, quando stylus illius necessitatem non tollat; Eaque ad instantiam eius, cujus interest processum compleri, atque causam expediri, fit cum decreto Judicis; Quamvis enim non sit de substantia iudicii; Attamen servari solet. *Farinac. de test. quest. 75. Rovit.*